



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Deum solem, solem mundi oculum cur aliqui dixerint?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

à puero, monstri instar, in ludibrium fuit circumductus.

II.

Oculos homo cum bestijs habet communes, nec sanè pauce bestia præstantia visus hominem antecellunt. Nunquam ille tam acutum cernit, quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius, aut lynx, aut dorcas, aut ipsas tenebras irradians felis. At mentis acie homo omni animante est superior, ibi vis videndi atque intelligendi eum supra omnes bestias altissimè extollit. Quare multò tristius malum est, mente cæcum esse. Quod si mortales cognoscere, ó quantis clamoribus cuperent, eà cæcitate liberari, quæ bestijs æquiparantur! Esse autem etiam quandam mentis cæcitate, eodem loco, in ipsis Apostolis, est demonstratum, quibus postquam Dominus clarissimis verbis dixit: *Ecce ascendimus Iero-*

Luc. 18. 23. *solyman, & consummabuntur omnia, que scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget* (quis Sol verbis his clarior?) *Et tamen ipsi, ait Euangelista, nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, que dicebantur.* Tantæ tenebræ in ijs, qui lux mundi erant futuri, extiterunt.

III.

Cic. in som-
nio Scip.
Pier. Val.
lib. 33.

Miramur Apostolos? miremur nosmetipsos, qui ipsi sapius Solem non videmus. M. Tullius Solem mundi mentem & temperationem appellat; & vetustissimi illi Sacerdotes Ægyptiorum, ut diximus, moderatorem hieroglyphicè significaturi, *oculum & sceptrum* facere soliti sunt. Homericum illud *ἥλιος ὁ ὅς πᾶντ' ἐφορᾷ, καὶ πᾶντ' ἐπακνεί*, secutus Maro ait:

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

Sic omnia lustrat, temperat, moderatur Deus; qui proinde meritò *Mundi oculus & Sol* appellatur. Quem Iacobus vocat *Patrem luminum*, cuius oculis *omnia nuda & aperta* testatur Paulus. Quæ etiã de causa oculi, in diuinis litteris Deo attribuuntur, cum, teste Eucherio, signa sint intelligentiæ, qua bonos & malos speculatur. Nec speculatur tantum ipse, sed etiam alijs, natura duce & monstratrice, manifestissimum esse potest, eum omnia speculari, omnia moderari, omnia iustitia, misericordia & bonitate sua attingere à fine usque ad finem fortiter, & disponere suauiter.

Sap. 8. 1.

I V.

Hunc ergo Solem tam lucidè radiantem, hunc oculum omnia videntem, & regentem, qui non vident, non credunt, non

ve.